

procuras attentius et facias per officiales tuos diligentius procurari; quod sal ferrum pis et seta non emantur vel vendantur minori precio, scilicet sive regnicolis sive ceteris, quam statutum curie nostre contineat. Mandamus etiam sub pena predicta, quod iura omnia alia debita curie nostre de mercimoniis seu quibuscumque rebus aliis percipias a quibuscumque integre et percipi a cabellotis et aliis officialibus tuis integraliter facias, et sub eadem pena recipi integre studeas demandare; nec per pactum seu per convenienciam aliquam cabellotorum et officialium minuantur aliquo modo vel ingenio, sicut hactenus intelleximus fore factum. et ab ipsis officialibus et cabellotis inde recipias corporalia iuramenta, et in singulis commissionibus et concessionum litteris, quas cabellotis et subofficialibus tuis feceris, apponi facias et expresse, quod cum mercatoribus et quibuscumque aliis curie debitoribus contra statutum debitum nullum pactum inire presumant et quod nichil plus aut minus recipiant, quam sicut est hactenus consuetum. Volumus etiam et mandamus, quod statim in ingressu tui officii in qualibet terra et loco de omnibus demaniis morticiis et exadenciis possessionibus et bonis stabilibus quibuscumque terrarum et locorum ipsorum confinium eorumdem, in quo statu etiam consistunt, valore annuo eorum ac iuribus omnibus, que curia nostra habet in terris eisdem, tres quaternos sollemnes fieri facias, quorum uno peres te retento alium ad cameram nostram et tercium ad magistrum rationales magne curie nostre sub sigillo tuo transmittas, cautus quod de valore eorumdem et specialiter bonorum stabilium predictorum curia nostra nullatenus valeat circumscribi. Addicimus etiam presenti mandato nostro, ut de proventibus officii tui sacrosanctis ecclesiis et personis ecclesiasticis decimas debitas et consuetas ac alia iura debita et

[6]

[7]

H esse

[8]